

FÆDUS  
OPERUM SEU NA-  
TURÆ,

UT OBTINUIT IN STATU INTEGRO,

Auspice DEO,

PRÆSIDE

Dn. GEORG-HENRICO Häberlin/

SS. Th. D. & P. P.

*Patrono meo vitam suscipiendo;*

Diebus & Febr. h. l. que c.

*Publico Examine expositum,*

ab

AUTHORE

M. JOHANN-REINHARDO Hedinger /  
Stuttgard.

TUBINGÆ,

Typis Viduæ JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO MDC LXXXVI.



Coll. diss. A  
174, 10

571. A 174 (10)

~~174. 10~~

SERENISSIMI WURTEMBERGIÆ  
DUCIS  
SENATUI ECCLESIASTICO,  
PATRIBUS.

MUNERUM GRAVITATE,  
CONSILIORUM PRUDENTIA,  
MERITIS IN PATRIAM MAXIMIS,  
LABORE AD ECCLESIAE GUBERNACULUM EXANTLATO,  
PER-INCLYTIS

FELICIA QUÆVIS,  
VALETUDINEM ADAMANTINAM,  
VIRES ET ROBVR  
INTER CONTINVAS  
PRO ECCLESIAE PERICLITANTIS SALVTE  
EXCVBIAS,  
OPTATVMQ. VOTORVM OMNIVM SVCCESSVM  
PRECATUR,  
IISDEM

RECENTES HAS STVDII THEOLOGICI PRIMITIAS  
VT OBSEQVI NON INTER MORTVRI  
PIETATIS DEBITÆ ET GRATITVDINIS.

ARRHAM  
DICAT ET OFFERT,  
PARTVMQ.

QVI  
SVB BENIGNI NVMINIS AVSPICIIS  
AD QVANTVLAMCVNQVE ÆTATEM  
ADOLEVIT,  
EO QVO CALVIT  
FAVORIS SINV  
RECEPTVM IRI  
CONFIDIT,

SEQVE  
VLTERIORI MÆCENATVM PATROCINIO  
HVMISSIME COMMENDAT  
M. JOHANNES REINHARDVS HEDINGER.





بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

F O E D E R E O P E R U M .

P R O O E M I U M .



Uanta sit υπερβολη τῆς πλάττει τῆς ἀγαθότη-  
τῆς θεῶν ut loquitur Philo in Allego-  
riis, τῆς ἀκρως ἀγαθῆς ut D E U M vocat  
Gregorius Nazianzenus Orat. 2.  
de fil. id non testatur saltem Medicina

hominis lapsi, quâ cœlitus iuvatur, sed imprimis Fœ-  
dus O P E R U M, Spontanea illa Amicitiã divinæ oblatio  
יְהוָה וְדָוִד familiare cum D E O commercium  
Psal. 25. vs. 14. παρηγόρημα illud Perseverantiæ Adamiticæ,  
Obedientiæ illex, per quod offerebatur aspirantis ani-  
mæ solatio εὐδαμονίας πάσης κληρο̃, Unio cum D E O, vi-  
ta æterna, ut de fide Abrahamitica loqui amat Philo  
lib. de Colon. Equidem inter tenebras & spinas mate-  
riam hanc offendimus, antiquitate imprimis æstiman-  
dam, quòd Fœdus O P E R U M intrâ felicia Paradisi  
pomœria natum sit & denatum. Non incongruum  
tamen duximus, quin Speciminis loco speciosam hanc  
litem retexeremus, & primum D E I circa salvandum  
hominem beneficium pio oculo contemplaremur. Ut  
verò FELICITER! Suspiramus illo Tertulliani: *Exur-  
ge Veritas & interpreta Scripturas Tuas!*

## DEFINITIO.

**F**OEDUS OPERUM SEU NATURÆ A FOEDERE GRATIÆ DISTINCTUM, EST PACTUM INTERCEDENS INTER DEUM ET HOMINEM IMAGINE EJUS ILLUSTRUM, VIRIBUSQUE SUFFICIENTER INSTRUCTUM, QUO DEUS HOMINIS OBEDIENTIAM DECALOGO VISCERIBUS INSCRIPTO EXACTISSIME CONFORMEM, VI DOMINII ET POTESTATE LEGEM FERENDI SANCTISSIMA, STIPULATUS EST, CUM REPROMISSIONE, SI CONDITIO OPERUM, JAM ANTE DEBITORUM EXPLETA FUERIT, BENEVOLA, MERCEDIS, NON TEMPORALIS SALTEM SED ÆTERNÆ h. e. SUMMI BONI. CONTRA, SI PECCAVERIT, COMMINATIONE MORTIS, ET CONSEQ. ANTIQUATIONE FOEDERIS OPERUM. HOMO VERO OBEDIENTIAM STIPULATUS, ET BONUM OPERI APPENSUM AMPLEXUS AD SPEM MERCEDIS CONDITIONE EXPLETA ERIGITUR; UT CREATORIS GLORIA EXINDE CELEBRETUR, ET HOMO TERRENIS HAUD SATIANDUS, DEI BEATIFICA VISIONE FRUERETUR.

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

α Lib. 1. Historiar. c. 24. vid. Lexicon Martini in Voce Fœd9. β ille tract. de fœd. c. 1. Hic de fœdere N. T. cruento. Theol. Zach. p. 58.

**A**FOEDUS] Unde Fœdus in Latio originem trahat, lis est de voce, aliis à *Fædo* deducitur, quod victimis aræ fœdantur, & cæsa junguntur fœdera porcâ. Aliis à *ferio*, quia in fœderibus manus & animalia feriuntur; vel à *Feciali* pactorum præfecto, cujus formula legitur apud Livium. α Hebræis est ברית de cujus natalibus videantur Coccejus, Dorscheus & Schmidius Argent. tract. de Circumcisione. β Grotio placet פיהל ברית, pluribus cum Buxtorfio ברית, elegit, quia in pactis est conditionum אִשְׁתָּוּת, ut constat

constat de Fœdere Abrahami cum Abimel. Gen. 21. v. 32. Isaâci Gen. 26. v. 28. Jonathanis cum Davide, 1. Sam. 18. v. 3. Affine ipsi est כרת, scidit, quod significat actionem fœderalem, ויכרת & secuit, (pepigit) Jonathan γ. Nec præter rem, quia animalia secabantur in frustra, inter quæ transire debuerant, qui cum DEO pepigere, δ Jer. 34. v. 18. moris fuit Molossis teste Zen. aliisque populis teste Livio. Vid. Sedanenses, de Fœdere L. & E.

γ 1. Sam. 20. v. 16.

δ Id quod

Septuaginta verò ברית vertunt διαθήκη, quamvis inter Fœdus & Testamentum summum sit discrimen, & hoc illius sit dispositio, atque V. T. cœperit demum cum Mose circa hæreditatem Canaan Typicam ε. Præivit tamen Paulus Gal. 4. v. 24. Ubi duo Fœdera vertit δύο διαθήκας & ברית הדשה καινήν διαθήκην Jer. 31. 31. v. 3. Chaldeus, utitur Voce גזר, quod significat, scidit, Metaph. pactus fuit. Syr. קים, stabilis fuit פדום & fœdera. Rom. 9. v. 4. Arabes ex quintuplici ad minimum fonte vocem petunt. Notanda vox كفو شهب قيس quæ fædus & Testamentum significat à فو شهب قيس fretus fuit η. Æthiopi est ቤ ለ ካ quod reduci potest ad ከ ሆ ለ ferit θ. Sed quicquid sit de variis originibus, & acceptionibus, quando significat v. gr. vel promissionem simplicem sine restipulatione ut Esa. 59. v. 21. vel Synecdochicè Legem, Ex. 34. v. 28. vel donationem irrevocabilem Num. 18. Vel Fœdus Circumcisionis. Gen. 18. v. 13. vel Fædus Gratiae κατ' ἐξοχήν Jer. 31. v. 31. Transimus ad rem ipsam: Dicitur fœdus.

ε ut docet definitio Königii p. 254. Theol. pos. ζ vid. Gutbierius in N. T. & Lexico.

η vid. Lexicon Golii Arab. θ vid. Lex. Ludolf.

ι vid. de hisce. Burmannus de Oc-

con. Fœderum. & Coccejus. tract. de fæd. fufe.

B. OPERUM] En Characterem & differentiam, quæ fædus G. & O. discernuntur. Fædus enim O. respicit obedientiam hominis debita cum intensione, extensione & perseverantia, Opus perfectè factum, κ dans jus petendi mercedem, ὑποταγήν ad Legem DEI perfectissimam, adeòque λ creditæ & concreatæ Imaginis Conservationem, ejusque in omnibus actionibus ostensionem perpetuam nec intercisam. Fædus verò Gratiae excludit resp. hominis omne Opus vel perfectum vel imperfectum, vel per gratiam vel sine gratia factum, etiam sub mediis seu Viæ ad Patriam necessitate,

κ Coccejus l. c. 11. λ Cloppenburg diss. 1. art. 33.

μ Prof. Ge-  
 nev. Theol.  
 Elencht.  
 Tom. 2. de  
 Lege. p. 158.

ν Rom. 10.  
 vs. 1. 6.

ξ Gen. 15. v. 1.  
 • Ex. 20. vs. 1.

ω Jer. 31. 1.  
 seq.

ρ sed D 1  
 per Legem  
 ducere ad  
 Christum,  
 Gal. 3. vs. 24.  
 • 2. Cor. 3.  
 vs. 6.

τ Disp. 2. de  
 antiquatio-  
 ne F. O. art.  
 14.

υ Dannh.  
 Hodos. Ph.  
 6 p. 474.  
 φ ut hoc o-  
 stēdunt Coc-  
 cejus c. 1 &  
 Clopp. diff. 2.

χ citatus ob  
 hoc ipsum à  
 D. Osiandro  
 Loco de Le-

tate, quam tamen contrà Complices defendit *Turretinus* μ. Quod  
 aliàs Legis contradistinctæ ad Evangelium est postulatio, ν & ni-  
 hil desiderat ac Fidem, quâ bona fæderis per Christum parta ho-  
 mo amplectatur. Unde *fæderis O.* formula est F A C. Gal. 3. vs.  
 12. *Gratie*, CREDE Rom. 10. vs. 9. vid. Rom. 4. vs. 2.  
 Rom. 4. vs. 4. vid. Hüll. in Vindd. de differentiâ Legis & E.  
*Omnia* igitur *fædera*, excepto Paradisiaco, de quo loquimur,  
 ξ v. gr. Fædus *Abrahamiticum* de Consecutione seminis, *Promul-*  
 gatio Legis Sinaiticæ. • *Moralis* sub intentione divina spectatæ  
*Ceremonialis*, ratione Materiæ & Typorum & *Forensis*; Omnes cum  
 promissione possessionis Canaan Typoi. Tum *Fædus* illud *Novi*  
*Testamenti*, ω quod Veteri è diametro opponitur; spectant ad  
 Fædus G.  
 Unde F. O. non *revivixisse* credendum est in V. T. Oecono-  
 mia. Lex enim V. T. *νενομιστος* est, non Fæderis Operum. Quapropter  
 Lex cum Agare comparatur non pariente filios: sed Servos Gal. 4.  
 Quid hoc? Legis sc. intētio non erat salvare, ρ vel ut *Thomas* loquitur,  
*amicitiam cum DEO* introducere, sed ostendere quid deberent homines  
 DEO, vi primigenii status, *Aperire* fæditatem Operis, & pan-  
 num Menstruatæ, & *repetere* Obliteratam in Cordis tabulis Regu-  
 lam Morum; sicque ex *accidente* facta est *Angustia* Mortis σ. Ab-  
 sit E. ut in Lege Sinaitica F. O. restauratum esse arbitremur.  
 C. SEU NATURÆ.] LEGALE etiam vocatur, quam-  
 vis voce *Naturæ* carere nos posse insinuet *Cloppenburgh*. τ ob pe-  
 ricula falsitatum: *Synonymum* tamen est si rectè explicetur. Nam  
 Fædus Paradisiacum, vocatur fædus Naturæ, quòd niteretur Obe-  
 dientia hominis, VIRIBUS NATURÆ concreatis præstanda,  
 nec ut F. G. oriretur ex liberali Libertate υ vel quod homo con-  
 formiter Legi NATURÆ & Decalogo inscripto debuerat operari.  
 φ Fallit verò post Cameronem *Moses Amyraldus*, χ *Magnum in*  
*Belgio* Nomen, qui triplex Fædus, *Paradisiacum*, *Legale*, quod  
*inserviens* vocat & *Evangelicum* stabilit cum *χέρον* triplici. *Primi*  
 officium facit, cognoscere DEUM, amare & sperare affluentiam fe-  
 licitatis (inde pullulat quod dicit; Hocce Fædus Naturale manere  
 cum rudibus Imaginis, Gentilesque per illa Ecclesiam intrare  
 valen-  
 ge Parad. Theol. Acroam, & fusc refutatur ab Heideggero Vol. disp. 1. per 3.  
 Dissert.

valentes in Fædere esse.) *Secundi* cum Israëlitis initi, Obsequi Legi & expectare promissam Terram. *Tertii* sperare in Christum, & anhelare vitam æternam.

Malè circa *Primum*. Quia Lex Paradisiaca fuit præceptum *eis* *ζωνν* Rom. 7. *ψ*l. 10. *Circa* 2. quia *κυσώσεως* Legis intentio est *ἀδυναμίας* agnitio Rom. 8. *ψ*l. 3. & compulsio ad medicum Gal. 3. *ψ*l. 24. Licetque stipulati sint obedientiam Israëlitæ & responderint. Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, quod tamen impossibile Rom. 8. *ψ*l. 3. Respondet DEUS; quis (vero) talem iis mentem dabit ut timeant me. Deuter. 5. *ψ*l. 28. 29. *ψ* Unde constat; falli eos, qui putant Legem Sinaiticam esse Mixturam Fœderis Gratia & Fœderis Operam: & ideò *Tertium* quiddam. Nam duo saltem sunt fœdera, Hagar & Jerusalem. Gal. 4. *ψ*l. 24. Et fœdus illud Sinaiticum, est ipsum fœdus cum Patribus initum. Deut. 7. *ψ*l. 11. Clausula ejus spirat Fœdus Gratia non Operum. Ex. 3. *ψ*l. 6. Ex. 20. *ψ*l. 2. Deut. 30. *ψ*l. 6. Etiam Circumstantiæ. Quid enim Sparso sanguinis in populum. Ex. 24. *ψ*l. 8. Quid Cerimoniarum; Sacrificii ultimi Specilla Levit. 1. *ψ*l. 9. aliud testantur quam exulare hic Fœdus Operum: quod si Novatorum ex animo hic repulisset; Actum erat de Fœdere G. cum Abrahamo inito. *Malè denique*, quod Gentiles Vi reliquiarum Imaginis in fœdere esse asserit, & ad Ecclesiam illarum beneficio redire posse, quæ planè *ἀθεόλογοι*! Cum Fœdus ejusmodi Naturæ sit purum somnium Amyraldi:

ψ Quod bene observat Gœbel. disp. Inaugur. de Fœd. & patris divia.

D. A FOEDERE GRATIÆ DISTINCTUM:

Varias assignant *Calvinn.* differentias: ω Ratio verò formaliter discretiva Fœderis Operum à Fœdere G. est *Fidejussoris loco nostri substitutio*. Antiquato enim Fœdere O. & Obedientia ad impossibilitatem redacta cum reatu culpæ, quâ homo se amico antea DEO, (gratia enim erat pangere cum homine & amicitiam offerre) inimicum reddiderat, & pœnæ, non ex Libero DEI arbitrio condonabilis, (a) sed eluendæ per satisfactionem *ισόρροπον*; Hoc ipsum Fœdus à nobis in Vadem translatum est. *Siquidem* DEUS miseria hominis *ἀφραμακχῆ* Joh. 3. *ψ*l. 16. Ezech. 13. *ψ*l. 8. & igne misericordiæ intestino motus (b) concepit amorem medicinalem cujus primus actus *Propensio ad reconciliationem passivam*,

ω Compendium vide. apud Leonhard. Ryffenium in Enchiridio.

a) ut somniat Episcopus lib. 4. de Redempt. & Crellius contra Hugon. Grot de Satisfactione, c. 4.

ref. à Turretin. Special. de Satisfact. b) juxta *IN* Ier. 31. *ψ*l. 10.

c) Docente  
ita D. Hülse-  
manno Vi-  
ndd. p. 407.  
d) Ioh. 5.  
vs. 25.

e) Gal. 3.  
vs. 12.  
f) Es. 53.  
vs. 7.  
g) Quid de  
Satisfactio-  
ne ex Iustitia  
sentiatur Vas-  
quez Socini-  
zans, vid.  
Tom. de In-  
carn.

quod velit pati reconciliationem. 2. *Propensio ad Reconciliationem activam*, quod ipse circumspexerit media Conciliationis, de qua Gal. 4. vs. 4. 3. *Mediorum exercitium*, Incarnatio &c. (c) **ET HOC IN ORDINE AD SATISFACTIONEM PRO CULPA COMMISSA.** In ordine vero ad iterandam communionem AMICITIÆ & vitæ Æternæ Spem revocandam. *Primus actus* erat TOLERANTIA quâ DEUS noluit uti Jure suo, & vindictam è vestigio in Protoplastis exequi. (d) Nam Theodoretus, ad quæst. Cur Adamus post Comestionem non statim sit mortuus? ὑμῶν δὲ inquit, μάλλον ἐχρῆν, ἀλλ' ἔκατηγόρειν τῆς ἀγαθότητος, εἴωθε γὰρ μείζονα μὴ ἀπειλεῖν, ἐλάττοις δὲ ἀπειλῶν πικρίας ἐπάγειν. Quæst. 38. in Gen. 2. **DIGNATIO**, quod irritum factum fœdus cogitet restaurare. 3. *Deniq;*, quod volumus, Sponsoris in Locum nostri SUBSTITUTIO; Unde jam *Δραθήκη κεκυρωμένη* in Christum (e) **בן ע'גה** (f) qui susceptâ utraque Obligatione & Pœnali & Obedientiæ præstandæ, Justitiam explevit, Legem Implevit, natusque est ex JUSTITIA (g) *tum bona Fœderis prioris Vitam, tum amissa, Imaginem, & media ad restorationem ipsius, Jus πέννα θεῶ γενέσθαι*, factus Satisfactor & Mediator fœderis melioris, qui Bona hæc promerendo nobis natus est non sub conditione novæ Obedientiæ, aut Operum, cujuscunque tandem nominis, sed fidei per Spiritum S. accensæ. *Fœdus ergò Gratia est F. O. quâ respicit Christi obedientiam activam, circa quem Pater dicitur, Gratia verò, quatenus homines respicit immerentes, per modum testamentaria Legationis à Christo factæ, sicq;* F. G. audit **TESTAMENTUM.**

**E. EST]** Esse F. O. vel fuisse potius (quia formalis ratio ejus, *mutua in stipulatione & promissione fundata Obligatio, quâ se DEUS homini gratuito debitorem fecit, primo oppido peccato, quo conditio fœderis violabatur expiravit*) id probat.

1. **LEX.** 2. **SANCTIO FOEDERI APPENSA.** 3. **HOMINIS ADSTIPULATIO.**

1. **LEX.** *πειρασική & δοκιμαστική Obedientiæ, γυμνασική τῆς ἀδελφότητος ἢ ὑπακοῆς*, Characteristica Domini Divini & juris in Creaturas, fœderis & amicitiae pronuba, officii index, illex desiderii ad τὰ ἄνω. Ratione sui plane arbitraria, circum rem exter-  
nam,



nam, levem, exiguam occupata, sed symbolica Legis spiritualis & Regia, superaddita Decalogo hoc tenore. בעץ הדעת טוב ורע Gen. 2. v. 17. quæ Lex fœdus dicitur Hol. 6. v. 7. Lex perseverantiæ usque ad certum terminum exactiva, minime verò Lapsus ex intentione DEI occasio, quia hominem in proxima potentia labilem fuisse, vel caruisse Auxilio sine Quo Non, (h) aut dono Perseverantiæ, blasphemia est. Lex erat non Consilium de Arbore Scientiæ tanquam Veneno Libidinis ingenerativo, ut monstrum hoc defendere nititur Theologaster *van Helmont*. (i) Siquidem Arbor Scientiæ, juxta Philologos & Theologos nomen accepit, ex EVENTU, quod post comestionem, didicerint Protoplasti, quantum boni amisissent, & evitassent mali, si inter tot cupedias pomo *abstinuissent*: Nam eleganter Arabes antiqui inquit: *السورع شرجة لصلها القنائة* i. e. Abstinencia Arbor est, cujus radix contentum esse, fructus ejus *quies*. Cui terminis si non mente prælusit Gregorius Nyssenus, qui tract. de Opificio Hominis; poma illa cum veneno comparat melle condito: Cap. 20. vid. Ambros. de Paradiso. c. 7. Nec Lex ea simplex admonitio erat, quod senserunt quidam referente *Bellarmino* lib. 3. de amissione Gratiæ cap. 1.

2. SANCTIO LEGI APPENSA: Eaquæ COMMINATIVA MORTIS מות תמות Gen. 2. v. 17. *Morte morieris*. Juxta *Theodoretum*, *Mortalis eris*. Sic *Hieronymus* & *Syrus*, *Fagius* incipies esse *mortalis*. *Arabs statim Morieris*, ad *Abacum* sc. DEI, ut putat *Just. in Dial.* (k) & *Jachiades Rabbi* Comment. Dan. 7. *Comminatio non à Libertate profecta sed Justitia, quæ per peccatum offensa acquirit Jus (l) puniendi, debet expleri per pœnam, quia satisfactione, quæ infinita sit oportet, humanâ non potest: Peccator enim quilibet, destruit DEUM quantum in se est, injuria afficit subtrahendo se servitio DEI, & serviendo sibi, superbiâ duce terram amat, DEO neglecto; ut docet passim Aurelius Hipponensis. Comminatio Mortis. I. PHYSICÆ quoad actum primum & secundum, quod contra *Grotium* notandum, qui immortalitatem totam ab arbore vitæ suspendit, quâ solùm subtrahatâ homo *χοινης* limaceus & mortalis esset, abusus loco. 1. *Co-rinth. 15. v. 47.* (m) Et contra *Episcopium Os Arminianorum*.*

h) de quo D. Osiander. Th. Acroam. Loc. de Gratiâ in Paradis. i) Operibus Medicis. sub titulo Thesis p. 416.

k) citante Waltero Harm. & Polo Anglo ad h. l. l) de Jure pœnali. vid. Mendoza. Tr. de Deo Homine. m) vid. Cõment. in l. & Voto pacis art. 2.

B (n) Qui

n) lib. 1. Inst. c. 10.  
 o) vid. Soci- num ipsum lib. de statu primi homi- nis contra Puccium Florent.  
 p) vid. Col- leg. Antis. Scherz. diss. 29.

(n) Qui intelligit h. l. immaturitatem mortis, non mortem, sed miseriam. Nec non Catechismum *Rakoviensem*, (o) quando docet hominem nihil commune natura habuisse cum immortalitate. p. 102. (p) *Male omnes!* Nam mors ὁψώνιον peccati Rom. 6. ψf. ult. Mortalitas pugnat cum ἀφραστία Sapient. 2. ψf. 23. & DEUS mortem non fecit, Sap. 1. ψf. 13. Mors cum Laboris, molestiæ, morborum satellitio. Rom. 7. ψf. 24. 2. GRATIÆ successit enim status iræ. Eph. 2. ψf. 12. Successit imagini Concupiscentia, mors Gratiæ, pœna peccati & peccatum, quò alienamur à Vita. Eph. 4. ψf. 10. Quo spectat ablatio benedictionis ex omni latere, execratio Terræ, Sudor faciei, dolor pariendi: 3. ÆTERNÆ. damni & sensus; quæ medium est explendæ Justitiæ, in inferno expiandæ; cujus principium erit mox post ἀπίθειαν σκηνώματων, 2. Petr. 1. ψf. 14. Luc. 16. sine fine. Es. 66. ψf. 24.

SANCTIO II. PROMISSIVA: Vitæ non terrenæ saltem, ut putat *Amyraldus*, & affluentia omnium bonorum. Disp. de tripli- ci Fœd. Sect. 2. quæ ab homine, si sine Lege perseverasset non au- ferri debebat: Conf. Job. 10. ψf. 3. nec *Longevitatis* tantum, ut Socinn. siquidem Adamus naturâ immortalis in manibus habuit, an vellet Non - mori, mediante peccati corruptione; Sed *æternæ felicitatis*, proximioris Unionis, Coronæ, Amicitia DEI quæ fi- nis est hominis & Legis: Vitam, puta non literâ quidem expres- sam, ex oppositâ tamen maledictione deducibilem, Arbore vitæ tanquam Sacramento, ob signatam, nullis adhuc arietibus adverfa- riorum everfam (q,) Fini fœderis necessario congruam, siquidem intendebat DEUS explorato homine ipsi dare vitam, quietem appetitus, militiæ brabæum; Dictis Scripturæ indubitato evi- detur. Leg. Cardin. dist. Lev. 18. ψf. 5. Ezech. 20. ψf. 2. Gal. 3. ψf. 12. Matth. 19. ψf. 16. Rom. 7. ψf. 10. Quæ Theologia Operum aut locum aliquando habuit, aut DEUS ludit promissionem su- spendendo à Conditione nobis impossibili. Nam Lex post lapsum est litera ad mortem Rom. 7. ψf. 10. potentia peccati. 1. Cor. 5. ψf. 56. Gal. 3. ψf. 10. Ergò in Statu Integritatis locum habuit. Jun- gimus etiam hoc: Quod Christus non aliter nactus est hæredita- tem Vitæ, quam δικαιοσύνη Legis implendo Rom. 8. ψf. 4. Qua- propter fumos vendunt *Wolzogenius*; qui audacter, si, inquit, in- tegrum Mosaicæ Legis Volumen evolvatur, nulla sublimior in eo repe-

q) quos e- nervat Coc- cejus. cap. 2. de fœd. art. 30.

reperitur promissio, quam status in hac vita tranquillus & beatus, omnique Voluptatum genere refertus. In Proleg. ad N. T. *Et Episcopus*, negans valere hanc Consequentiam; Minatus est Mortem ergò promisit Vitam: Lib. 1. Instit. c. 10. Licet postea promissionem generalem Vitæ æternæ concedat, sed sub involucris & cortice. Lib. 3. de Messia. *Cum Grotio*, qui dicta illa classica pro promissione vitæ æternæ corrumpit in *Comment.* inquit. Ζήσεται id est longævus erit. Vita enim (temporalis) est factorum merces Deut. 32. vs. 47. & ita explicare Chaldæum.

Notanda III. HOMINIS ADSTIPULATIO, qua infra probabitur.

Ex quibus, tanquam requisitis indubitato constat FÆDERIS Operum *Existencia*, quam cum Armin. negat totis viribus *Josua Placcus Prof. Salmur*: qui in tract. de Imput. Pecc. in Dialog. *Cum Garissolio Præfide Consilii Charant.* p. 233. sic habet, *Ecce aliam, nempe Fæderis cujusdam Universalis pactiōnem, de quâ ne quò quidem in Scripturâ.* & alibi &c. *Nimum verò liberalis est Batavus noster Coccejus.* Qui fædus hoc operum cognoscibile esse ait, etiam barbarissimis, & quantum colligo, *Lumine Naturæ fretis.* Argumenta enim quibus nititur, sunt straminei Achilles. Nil probat I. de *Fæderis Condecentia.* Noster enim intellectus Cæcus, corruptus non est regula *ἰσότητος* & falsum est, *Lumine N.* Fædus DEI cum homine decens judicari, cum fiat per *συγκατάβασις* indebitam, sit actus non Domini, non Creatoris, sed amici. Nec II. de appetitu, quod anhelet summum B. Nimum probat, sequeretur etiam Vitam æternam L. N. patere. Nec III. de *Existencia* Creatoris & beneficiis ejus, à quibus ad Fædus concludere est *ἀπώστια ἀγνοίας.* Verbo. Fædus DEI cum homine est opus Gratiae divinæ, non Juris naturæ, E. solo revelato verbo cognoscibile.

F. PACTUM] est Conceptus *Genericus* proximus, imbitus etiam à fœdere Gratiae, quod patet inductione Scripturæ: præivit nobis *Magnif. Dn. Cancellarius Theol. Acroam.* An verò sit idem ac *Conventio* inter duos, parvi est momenti. *Dn. Lauterbachio* pactum & *Conventio* sunt æquipollentia. Pactum, inquit, sive *conventio* in genere est actus, quo plures de aliquo præstando conveniunt. (r) Nec *Conventionis* Vox adoptata *Orthodoxiæ* officit. Non autem intelligitur *conventio* utrinque Libe-

r) *Compendio Juris lib. 2. de Pactis tit. 14.*

ra, quasi homo liberè subiisset obedientiam, quam tamen naturaliter debet, sed conventionem dicimus, quæ est αἰρεσις seu electio alicujus tertii in ordine ad repromissionem. Unde fœdus hoc, passim audit δῖπλευρον, quamvis solius DEI sit ἀρχή: Dices homo in Fœdere G. non paciscitur, nec convenit, sed bona fœderis accipit per fidem. E. pactum non est Conceptus Genericus. Et. etiam ibi homo paciscitur, partim in Sponsore cum quo per fidem unum sumus, (s) sicque nos in ipso tanquam vade Justitiam consecuti, partim ob conditionem fidei, quæ requiritur: Ad quam licet obligemur, nil obstat: Caterum non est contemnenda definitio Fœderis ut sic, quam legimus in tract. de Circumcision. p. 57. Fœdus ut sic est dispositio, constitutio, ordinatio, erecta, firma, firmataque solenniter, disponens alteri & cum ipso, pacem, gratiam, benevolentiam, amicitiam exhibendam.

s) Eph. 5. v. f.  
30. 2. Petr. 1.  
v. f. 4.

G. INTERCEDENS INTER DEUM] in Trinitate spectatum: Tota Trinitas per gratiosam συγκατάβασις iniit fœdus. Siquidem opus est ad extra. Quod cum sit manifestum ἐκ τῆς εἰσεσιῶς probamus Unico argumento. Ille DEUS qui dixit וַיֵּצַו נֹחַ Faciamus hominem בצלמנו ad imaginem nostram. Gen. 1. v. f. 16. Ille DEUS qui dixit Adam transgressor fœderis & similitudinem nostri affectans factus est, כְּאֶחָד מֵאֵמָנוּ sicut unus ex nobis. Gen. 3. v. f. 22. Ille DEUS, qui Legis Paradisiacæ Lator vocatur יְהוָה אֱלֹהִים. Et præcepit דַּוִּי, וַיִּצַו יְהוָה אֱלֹהִים לֵאמֹר: וְעָבַדְתָּ אֶת יְהוָה Gen. 2. v. f. 16. ille Tulit Legem, iniit Fœdus, stipulatus est obedientiam. Atqui DEUS ille est Trinus: E.

H. ET HOMINEM] Rubuit Adamus adhuc à manu figuli, & DEUS cum Eo paciscitur, non saltem ut Personâ PRIVATA, vel ut Conjuge Evæ, cum quâ est una Caro. Gen. 2. v. f. 24. sed ut STIRPE Generis humani, cujus Adamus erat repræsentator, fons, Caput, Seminarium. (t) Quod verò etiam PRO NOBIS stipulatus sit Obedientiam probamus ex aureo Capite Rom. 5. ex cujus v. f. 12. producimus Achillem toties impetitum Arminianorum telis, Socini aculeis, Interpretum dubiis. Sit arg. ἐφ' ᾧ in quo (quod non vertendum est: Eo quod cum Episcopo Sect. 5. de Redempt. p. 403. Theodoreto, Syro, Erasmo, Vatablo Luthero ipso, Nec per quem, cum Hugone Grotio, ut probat ex Luc 5. v. f.

t) verba sunt  
Dannhavy.  
Odos. Pf. 4.  
p. 361.

5. *ψλ.* 5. 1. Cor. 8. *ψλ.* 2. Hebr. 9. *ψλ.* 17. (u) sed IN Quo, ut demonstrat Scherzerus ex συναφεία & αντίθεσι, (x) vertentibus ita Ambrosio, Augustino, Chrysostomo) πάντες omnes (excepto Christo, pro quo non sponndit tanquam ex semine suo supernaturaliter oriundo, non vi benedictionis, sed promissionis) (y) ἡμαρτον peccaverunt (in Aoristo præteriti Vicario, ideòque peccato non habituali, sed actuali) ille stipulatus est pro se & posteris. Atq. E. Major est indubia: Minor constat l. c. & probamus porrò I. Quia Concupiscentia, peccatum Ortum, non saltem naturaliter, sed & meritoriè est in omnibus; Ergò meruerunt & peccarunt in Adamo: Quod demeritum malè negant Anabaptistæ & Phot. apertè, Calvin. latenter, qui corruptionem habitualem à fœdere, & arbitrio DEI suspendunt (z.) II. Posito nos in Adamo non pepigisse, peccasse, Concupiscentia ne quidem peccatum esset, quia non esset Voluntaria in Origine. Ignorantia invincibilis omni modo, excusat à peccato E. & peccatum invincibiliter connatum. III. Non obligaremur ad restaurationem ejus, quod non amissimus, ad impletionem Legis, quam nunquam servare potuimus. IV. Christus pro nobis Obedientiam præstitit, quæ nobis imputatur, Sponsor, primo Adamo & Sponsori oppositus, (N) in illo justificamur, in hoc peccavimus. E. vicissim Adami peccatum nostrum erit non saltem habitu naturaliter in nos derivato, sed & imputatione. At imputari non posset, nisi in Eo peccassemus. V. Lex Morte morieris (Morte gratiæ imprimis, in quâ potissimum ablatio Imaginis includitur) respicit immediatè commestionem de arbore Scientiæ, violaturam Decalogum inscriptum, Nos verò morimur, E. comedimus. VI. ius filiis acquiritur in radice existentibus, quid ni & delinquere possent. Prius in Jure conclamatum. Ergò non absurdum est peccare nos in Adamo tanquam radice, stirpe, repræsentatore, vel si mavis Sponsore pro se & posteris. E. Adami peccatum imputatur non mediatè saltem per corruptionem sed & immediatè. E. in illo peccavimus: Ut jam juxta Bernardi aureolam, antè damnati simus quàm nati: Æthiopes ab Æthiopo. August. lib. 5. cont. Jul.

Sapiat jam sibi Episcopus, qui mentitur l. c. ita. Scriptura nusquam alicujus peccati originalis meminit, &c. Cujus argumenta vid. ibidem: Sapiant sibi Sommerus & Placæus cujus subtiles laqueos

u) Commēt. ad Rom. Crit. Angl. Tom. 7. p. 2618.  
x) Anti Socin. Coll. p. 264. & 268.  
y) Hülsem. Vindd. p. 26.

z) cum Macovio LL. CC. citante Hülsem.

N) Rom. f. v. 2.

vid. tract. cit. de Imput. pecc. per totum. Ubi negat fœdus Lega-  
le, naturæ concedit, in initum cum Adamo tanquam Paradisi incolâ,  
negat nos fuisse in Adamo tanquam capite Morali, negat Impu-  
tationem immediatam. Nos militamus pro orthodoxa Veritate.

ב) ut vocat  
Hülfs. præ-  
lect. ad brev.

I. IMAGINE EJUS ILLUSTRUM ] quæ non est su-  
peraddita Chymææ status purorum naturalium, sed naturalis &  
connata homini tq. qualitas accidentaria, nobilissima (ב) per-  
quam Oculus in intellectu illustratissimus, sine ullis ignorantie  
privativæ nebulis, Moralitatis, quoad viscera ejus, summe con-  
scius, non quoad substantiam tantum, sed & Circumstantias. Per  
eam Libertas in Voluntate Sancta, DEI serva, sine æquilibrio ad  
Malum, sine imbecillitate Affectuum, sed obsequio eorundem &  
spontanea ad bonam inclinatione, felix cum dote Immortalitatis,  
Impassibilitatis, Confabulationis cum DEO (א) Verbo Recti-  
tudo, quâ homo est ישר Eccl. 7. v. 30. ἀρετής ad Regulam San-  
ctitatis divinæ Lesbiam accuratissima. Scherz. Loc. 5.

א) Recēfente  
Thummio  
Syntagmate  
Disp. 5.

L. VIRIBUSQUE SUFFICIENTER INSTRU-  
CTUM. ] Vires habuit homo ad appetendum bonum, servan-  
dam Legem, facilimam, quibus facilius, ac nos à Peccato in Spi-  
ritum S., abstinere potuit à pomo: (ג) Vires, non demum au-  
gendas, ut putat Coccejus, sed sufficientes, abundantes, ex inten-  
tione DEI cum genere humano conservandas; Naturaliter, adeo-  
que non ex merâ DEI Liberalitate ut Romanistæ somniant pro-  
pagandas, dantes non posse saltem, sed & Velle & perficere sine  
defectu: Nec dicas: Non perseveravit E. caruit perseverantiæ do-  
no. E. fuit imbecillis, & enim Gratiam perseverantiæ contineri in  
gradu gratiæ perficientis, & operantis. E. non opus erat dono per-  
severantiæ distincto. Labilem verò & imbecillem creasse est con-  
trâ כל טוב Gen. 1. v. 31. Et falsum est Libertatem hominis per se  
fuisse causam Lapsus. (ה) Quod innuunt non ineptè Hebræi  
quando dicunt, לא נתן בו יצר הרע עד אכלו מן העץ ויבנס, i. e. Non data Adamo affectio; (videlicet, nulla in-  
clinatio nulla potentia) prava, donec comedit de arbore, tum enim intra-  
vit in eum Concupiscentia mala, &c. Habuit vires Adamus, quæ jam  
amissæ partim naturaliter ob habitum actu summe malo, & dere-  
pente summæ ἀρετής & corruptivo introductum, partim merito-  
rie, & iudicio DEI justo, Adami tñ. culpa vires commissas non usur-  
pantis

ג) Verba  
Hülseman.  
in Auxiliis.

ה) Quod  
supponit  
Coccejus  
Summâ Th.  
c, 25. p. 293.

pantis, Tentationes coloribus licet, sed fatuis vestitas admittentis, cum Liberum ipsi esset, quid vellet sibi in mentem venire, sicut probat Augustinus, (1) peccati δελεῖς suscipientis, concipientis, parientis. DEO omnino invito, (2) licet permittente, quod non tenetur impedire. Permissione non determinativa, prædefinitivâ Thomisticâ, sed non impeditivâ, quo minus voluntas se determinet ad malum, ut bene loquitur Derkennys. (3) Cum E. haberet posse & velle bonum, & posse velle malum, concursus DEI ad utrumque præparatus fuit permissio in actu primo: DEO interim decernente permissionem non decreto antecedente absoluto, sed consequente, evitabili in signi priori per ipsum hominem, si posuisset actum contradictorium. Quod verò noluerit quæ potuit, non est per Carentiam gratiæ à quâ Carentia suspensa esset illa Noluntas, sed per virium, quibus poterat non - velle malum contemptum:


1) lib. de merit. & remis. c. 7.

2) quod negat Wendel. Th. Christ. p. 239.

3) tract. de DEO Vno. P. 232.

M. DECALOGO VISCERIBUS INSCRIPTO] De Palatio testantur rudera; Ne actum agam, Legatur aureus qui ferè in omnium manibus est Magnif. Dn. D. Osiandri tractatus de Lege Naturæ, quem Ego, ut D. Johannes Lassenius, (4) Hafniæ in Dania Ecclesiast. tract. de DEO in Lum. Nat. meritò vocaverim incomparabilem. Decalogum intellige, Regio charitatis præcepto illustrem, speculum honesti, omnium bonitate circumstantiarum induendi, purissimum, Vi oppositorum, Malitiæ & ἀνομίας detestativum, perfectissimum, non perfectibile, vel per Legem Sinaiticam quasi abundantiosem, vel per Legem Christi (Grotii) vel Evangelii (Pontificiorum) utopicam; εἰσπῆρον ἀπερωπόληπτον, sine Errore, & fallacia, dictaminis in ratione Magistra certissima.

4) in notis ad recreationes sacras Germanicis P. 16. part. 1.

N. OBEDIENTIAM EXACTISSIME CONFORMEM] Obedientia Adami non debuit esse imperfecta, ut post Lapsum Opera à regenito facta imperfectione laborant, & in relatione ad Legem peccata audiunt. Sed perfectissima, conformis amussi Legis accuratissimæ. Idque PERFECTIONE. I. PARTIUM; Partium partim Legis. Lex enim dictabat Charitatem DEI & proximi, neutra violari debuit, ut si unam homo transgrederetur ἕρπον πλάση Deut. 7. ψf. 25. se illaqueet, Reusque ἐνοχῶ Syro  debitor sit omnium. Jac. 2. ψf. 10. hocque ob medullam Legis, præceptum de Charitate DEI, νόμον βασιλικόν. Ibid. ψf. 8. Hinc Augu-

Augu-

9) Epist. 19. ad Hieronymum.

3) 1. Sam. 15. vs. 15.

5) Matth. 5. vs. 2. 1. Tim. 6. vs. 5.

12) Evolv. Tract. de Leg. N. D. Of. p. 70.

13) confossa ab Hülsem. Vindd. p. 48.

Augustinus inquit. (9) Ubi (Jacobus) tradit in uno offendentem esse reum omnium, quod in unum peccet dilectionis præceptum in quo recapitulantur omnia, Rom. 13. vs. 9. in quibus universalis Lex pendet. Matth. 22. vs. 37. Ratio etiam est in hoc, quod quovis etiam peccatillo Sanctitas DEI infinite offenditur: Apage ergo cum peccatis venialibus. Partim perfectione Quasi partium ipsius actus actus Moralibus. Ad quam non sufficit finis saltem bona intentio, (3) requisita quidem, (5) sed cum bonitate Objecti & Circumstantiarum, ut passim docent Moralistæ, adeò ut unica Circumstantia, v. gr. *περὶ σωπλεψία χρυσοδακτυλίας* præ paupere Jac. 2. vs. 2. actum faciat *ἀνομον*, reumque mortis. II. Perfectione GRADUUM; summa cum intensione; *מלך* Maledictus qui non servaverit *יִרְבֵּךְ* Legis Deut. 27. vs. 26. Cujus? Eius quæ est *ἀγαπήσει κύριον ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ σου*. Matth. 22. vs. 31. sine ulla conniventia imperfectionis aut acceptilatione Cuius pro Quo Luc. 10. vs. 27. III. Perfectione PERSEVERANTIÆ sine intermissione usque ad terminum Viæ, propylæum Patriæ, ante quem non habetur *ἐπερώτημα*, ad quem nisi perveneris frustra est justitia prior. Ez. 18. vs. 24.

O. VI DOMINII ET POTESTATE LEGEM FERENDI SANCTISSIMA] Dominium DEI est principium Legislationis, Jus illud in Creaturas oriundum non ex ipsa DEI natura, ut vult *Twissus*, nec ex *ὑπεροχῇ* ut *Amyraldus*, aut potentia irresistibili. Sed ex beneficiis datæ Essentiæ per Creationem, filiationis per Redemptionem, restitutæ inchoativè Imaginis per Sanctificationem. Dico, Potestate sanctissimâ non injustâ. DEUS quidem habet potestatem ferendæ legis cujuscunque sed PRÆSTABILIS; Quapropter Jesuita Bellomontanus Vasquez re- & inferuit Conditionibus Legis possibilitatem. Sed cum cautela tamen. (12)

P. STIPULATUS EST CUM REPROMISSIONE] Stipulatur hoc est postulat Obedientiæ promissionem, repro- mittit vicissim Mercedem, si homo faceret quod posset: Est vero hæc promissio, quæ dandi vocatur, & supponit promissionem faciendi, Merè gratuita, benefica, non permutatoria, conditionis (non impossibilis qualis Conditio fidei in Fœdere G. Amyraldica (13)) respectiva, Conditionis puta concessivæ Juris in futurum non in præsens. Conditione enim nondum expleta, Obligatio reddendi non est in Esse,



Esse, sed in fieri & quasi in utero Materno (D) Conditionis causantis Obligationem ex fidelitate & veracitate DEI, cuius contra naturam est fallere. (Y) Promissio minimè fallax sed ligans **הסרה** vinculum *Hebrais*, non superficialia, aut Voluntate saltem signi TALIS ob crudele proximi lapsus decretum: Quasi DEUS promississet, sed supposito decreto Spei ad promissa amittendæ per lapsum. Sed seria **יהוה אני** Vivet in eis, quam verè ego Lev. 18. v. 4.

D) ut loquitur Carpzov. apud Lauterb. Comp. tit. 14. de pactis. Y) juxta dicta Hebr. 6. v. 18. Thes. 3. v. 3. Tit. 1. v. 2.

Q. ANTEA DEBITORUM] Debetur ob Jus & Dominium in Creaturas obedientia Creatori. Hinc optimè Coccejus

(D) Non tantum, inquit, naturale est rationali Creaturæ, habere imaginem DEI, sed & ad imaginem DEI creatam subjici Legi conditionis: Nihil enim magis naturale est, quam Creaturam Creatoris facturam factoris esse: Nihil cum naturâ & prima veritate magis pugnat, quàm rationalem & imagine factoris exornatum non esse servum DEI ut factoris, esse ex legem, non subjici, non obtemperare &c. Nam contradictorium est, Creaturam esse rectam, & carere Regula, Lege promulgante Voluntatem summi Legislatoris. Nec potuit homo prodire è manu Creatoris, nisi cum Imagine, nisi cum Sigillo Legis, Luminis & dictaminis in Intellectu, ponderis & inclinationis in Voluntate ad Bonum cognitum. Quapropter cum tabulis Decalogi carneis homo accepit Obligationem parendi, quam primum Homo esse cæpit.

D) Cap. 2. de F. O.

R. MERCEDIS] Dividunt Pontificii Meritum in Meritum de Congruo & de Condigno; Meritum Utr Sic desit Oviado, esse aliquid in homine per se movens ad retributionem, quale in statu lapsus, etsi ulcerato dari, passim Suarez, Martinez, & crassus ille Pelagianus Vasquez, aliique asserunt: Sed exosa Confessoribus Augg. distinctio merito hisce finibus exulat. Quærimus solum: An Adamo debuerit DEUS mercedem ex Justitia an fidelitate solâ? Asserimus prius. Quia habuit *ὀφείλημα* quod opponitur Gratia, componibili cum debito ex fidelitate Rom. 4. v. 4. Non absolutè quidem ex proportione & æqualitate dati & accepti; sed SUPPOSITO FOEDERE: (Y) Nulla, inquam, adest æqualitas, quia finiti ad infinitum nulla proportio; Minor, quam teruncii ad Regnum Hispanicum. Ex Justitia diximus, memores tamen Augustini; Qui debitor, inquit, factus est DEUS, non aliquid

Y) ut probat Dorscheus part. 2. Th. Zach.

C

acci-

accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. D E O igitur, quid dici-  
mus; Redde mihi, quia dedi Tibi. Quid dedimus D E O ? quando quod  
sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus. (P)

P) Serm. 17.  
de verbis A-  
post.

7) Luc. 18.  
v. 18.

Θ) Lib. 5.  
Tom. 3. c. 9.

S. NON TEMPORALIS SED ÆTERNÆ] Quod  
colligitur ex Responsione Phariseo data (7) τί ποιήσας, inquit,  
ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω: Quæstio non erat de terrenâ Longævita-  
te, sed Vitâ limitatis in hâc vita bonis opposita: Nosti respondet  
Salvator, Mandata, v. 20: Obedientiæ igitur debetur Vita æter-  
na, summum Bonum; D E U S ipse: D E quâ Episcopus Iprensis; Il-  
la, ait, merces nulla alia est nisi ipse D E U S, luminosissima & ardentissi-  
ma charitate, in gloriosissima æternitate diligendus: Ut enim charitas,  
charitatis meritum est, sic charitatis charitas est premium. (Θ) Vi-  
ta Ueniens proximius D E O, aperiens Oceanum Bonitatis divinæ,  
quo appetitus mergatur, thesaurum pulchritudinis possidendum.  
Vita visiva D E I. 1. Joh. 3. v. 2. Oculariter & sine velo 1. Cor. 13.  
Vita regentis in statu Lapsus cum ἄσπασα εὐδοκίας expectanda. Ver-  
bo. Paradisus terreni Antitypus Luc. 23. v. 43.

T. SI PECCAVERIT] Si transgressus erit Legem in-  
ternam cum externâ. Nec enim externa transgressio per se Mo-  
ralis est sine Internâ. Cùm per actus elicitos imperati Moralita-  
te imbuantur. En solum peccatum venenum est, quod hominem  
redderet miserum; Unicus actus, sed vario quasi partium integra-  
lium (Infidelitatis, dubitationis, superbix &c.) concursu com-  
positus suffecit, quin extingueret Lumen in Intellectu, Amorem in  
Voluntate. Accenderet odium D E I, Amorem sui, Terræ, sce-  
lerum. A C T U S, ad cuius conspectum D E U S effarbuit, λόγος  
Crucis suspenditur, ut Chirographum deleret; Cujus semina in no-  
bis perpetuis Spiritus S. armis debellat: A C T U S quo prius perem-  
ptor factus est Adamus quam parens. Bernh. Notandum verò con-  
tra *Supra lapsarios*. Conditionem, S I PECCAVERIS, fore il-  
lusoriam, si D E U S hominem subtractione Gratix Perseverandi,  
vel permissione, ut Maccovius loquitur, P R O M O V E N T E fecis-  
set infallibiliter lapsurum.

II. ET CONSEQ. ANTIQUATIONE FOEDE-  
RIS O.] A B O L I T U M est Fœdus O. post lapsum, non quoad u-  
sum tantum, quod ultra vivificare nequeat, Gal. 3. v. 21. Rom. 5. v. 6.  
hoc est, Medium ultra non sit, ex intentione D E I consequendæ  
vitæ.

vitæ, licet Fœdus in se esset integrum; Ut si per impossibile Paulus impleret Legem; Jus haberet sine Christo introeundi Vitam: Sed etiam QUOAD FORMAM SUI TOTALEM, quæ sita est in Conventione ejusmodi, qua debitorem se fecit DEUS homini facienti officium. (U) Quod probamus hoc Arg. si I. ulterius non tenemur implere Legem, (cum tamen Impletio fuerit Conditio F. O.) (N) sed observare tantum, quantum per Gratiam nobis possibile est. II. Fœdus G. medium antiquationis cum Fœdere O. impossibile est. Gal. 2. vs. 16. Rom. 4. vs. 14. III. Per peccatum amissa DEI amicitia, abolita Conditio, & Numini irato Obedientia præstada sine repromissione Mercedis. Conseq. est, Formam fœderis Operum quoad formam esse abrogatam. Atqui Prius est E. & posterius. Minus verò sinceri sunt circa *πελαγίωσιν* F. O. OMNES, qui Operibus cujuscunque tandem Ordinis & coloris Jus quosdam respectu Vitæ Æternæ largiuntur, Et. I. quidem PELAGIANI in Papatu tum *Crassiores*, qui Electionem, quoad præparationem, & Collationem suspendunt à meritis Operum; ut *Vasquez, Lessius, Derkennys &c.* tum *Molliores*, qui cum Thomâ, *Suarez, Ruiz* aliisque Prædestinationem, quoad *intentionem* quidem planè absolutam statuunt; Ne vero Electi Gratis prædefinitam ipsis gloriam possiderent, quoad *executionem* tamen merita proportionata requirunt. II. *Calvinn.* cum *Paræo & Calvino*, qui fœdus Operum extruunt ex Gen. 18. vs. 1. Quasi DEUS promiserit Abrahamo, *se fore DEUM* ejus sub conditione Integritatis. Quæ placent *Riveto Comment. h. l.* & à *Lapide ex Pontiff.* quos refutavit *D. Schmid. tract. de Circumc.* III. EPISCOPUS & Arminiani; Qui fingunt; Quod salvemur per fidem quâ est Opus, per fidem Operibus factam; per fidem, Conditionem fœderis Novi æquissimam. (a) Qui m. in V. T. partim cum Abrahamo, partim cum populo Israël ad montem, fœdus Operum extructum fuisse contendit: Gemina his habet *Grotius* in *Comment. passim*, qui putat, fidem *λογισμῶν εἰς δικαιοσύνην* Rom. 4, nihil esse nisi Virtutem, ut *Philo* loquitur *Regiam, egregiam de potentia DEI EXISTIMATIONEM* circa multiplicationem Sui ut *SENI*s, contra Gal. 3. vs. 16. (b) IV. *Socinus & affectæ.* Sic enim *Socinus.* (c) Christi fides quæ nos justificat, re ipsa nihil aliud est, quam *ejus præceptis obedire Spe futura immortalitatis*, confer *Baronem Wol-*

U) Verba Cloppenb. Disp. 2. de Antiq. F. O. N) Evolve Hülf. Vindd. de Merito Christi pag. 414.

a) ut se explicat Confess. c. 9. & contra Cæs. cap. 9. Apol.

b) vid. Comment. ejus ad loc. Gen. 15. & 12.

c) Tom. 1. Operu p. 623.

d) System.  
de iustif.  
q. 4.

zogen. dis. Prol. in N. T. circa Fœdus N. T. V. Calixtini; qui cum Calixto Juniore phrasin Horneji, *Fidem*, quatenus est EFFICAX justificare probant. vid. Calov. (d) *Quæ omnia contraveniunt Fœderi G. scq; F. O. blandiuntur.*

DICES: Dicitur FAC hoc & VIVES Gal. 3. vs. 12. sine Ironiâ. Luc. 18. vs. 18. E. si homo FACERE posset, deberet expectare mercedem vi promissionis. R. I. Illud VIVES non esse promissionem ex intentione DEI efficacem, quia est inconsequibilis ab homine corrupto, sed Pædagogicum, ad Memoriam status prioris, & inquisitionem RESTAURATORIS. II. FAC hoc in N. Fœdere non respicit simpliciter hominem sed & Christum; Ut sensus sit. FAC hoc, Tu vel alius pro TE, aliâs Legi non esset satisfactum per substitutionem Sponsoris. III. Posito, quod ἀδύνατον, posse nos implere Legem, expectare nihil licet. Satisfaciendum enim prius DEO, αὐτῶ infinite pro delictis commissis: *Instas*: Christus tamen pro nobis Legem implevit, παῖς δικαίωμα, & nos in ipso, ut Sponsore: Ergo, firmis adhuc stat pedibus fœdus Antiquum. Resp. Fœdus fuisse restauratum, & delatum in Vadem: Ergo, Collapsum fuit. 2. Idem non est; Quia pars CONVENIENS mutata est: At variata parte variat totum. 3. Implevimus in Vade quidem, natiq; cum ipso IVS ad mercedem; sed IMPVTATIVE, non per naturâ; Adeoque VT Fœderati Gratia non NATVRÆ. Vnde Vnius Obedientia, Legi præstita facta est multorum; Imo Omnium, quoad ACQUISITIONEM. conf. 1. Cor. 5. vs. ult.

HOMO VERO &c.) Tria VLTIMO, cum breves esse cogamur, consideranda veniunt. 1. ADSTIPVLATIO. 2. RESTIPVLATIO. 3. FINES FOEDERIS. Quod concernit PRIMVM. Vtique *astipulatus* est Adamus, quamvis αὐτολεξεί in Scripturis non habeatur, probamus tamen ANALOGIA FIDEL. *Adstipulatio* ὁμολογία est *promissio Obedientia sub intuitu μισθῶ ποδοσίας*, quæ est basis restipulationis, Iurisque petendæ mercedem. Quam factam esse ab Adamo constat *tum à priori*; quia transgressus est תריב חס. 6 vs. 7. Nec poterat detrectare Adamus: Quia stipulationis MATERIA circa quam & F nis erat beneficium DEI; At gratiam DEI contemnere est ἀσύστατον, cum Harmonia Voluntatis divinæ & humanæ, hominisque RECTI appetitu. *Tum à posteriori*; Ex Secundi Adamo in fœdus Substitutione qui est SPONSOR fœderis melioris. Notanda II. RESTIPVLATIO; ἐπερώτημα, quæ, contra quam Grotius sentit, (e) ex Græcis Iuris Interpretibus, non confundenda est cum ὁμολογία. Nana facta ὁμολογία, nondum præstito eo quod promisimus, ἐπερωτήσεις adhuc caremus: Quæ nihil est, quam πληροφορία quædam, & fiducia. nixa iure acquisito, quâ fretus homo accedere potuisset DEVM, expletâ Operum conditione, & postulare Mercedem vi Conventionis. Illinc ob promissionem: hinc ob præstitum Officiu, & præeuntem adstipulationem; Quâ, ut Coccejus loquitur, (f) DEVS fuisse Obligatus ad præstandum amorem & beneficia. Notandus III. Fines CVIVS GRATIA. Isque PROXIMUS. Salus hominis, aditus ad Patriam: Visio DEI a facie ad faciem;

e) Comment.  
1. Petr. 3. vs. 21.

f) Lib. 1. de  
fœd. c. 1. §. 7.

vid. Lit. S. *Vltimus* Gloria DEI, quæ actionum divinarum Centrum est &c.

F I N I S.

Coll. Diss. A 174, Misc 10